

Distinctio XIII

/Vb 191rb; X 371a/ “Post hoc considerandum est”, etc. Postquam comparavit Magister processionem Spiritus Sancti ad terminum, principium, et modum, hic comparat ipsam ad suum disparatum, quod est generatio. Et circa hoc tria facit. Primo enim inquit an Spiritus Sanctus nuncupari possit Natus seu Filius. Secundo inquit quae sit differentia inter Filii generationem et Spiritus processionem. Tertio inquit an Spiritus Sanctus saltem ingenitus dici possit. Secunda ibi: “Inter generationem”. Tertia ibi: “Nunc considerandum est”.

Circa primum tria facit. Primo enim inquit cur Spiritus Sanctus non dicatur Natus seu Filius, et dicit quod hoc est quia cum sit amborum Spiritus amborum, Filius diceretur; filius autem nullus est duorum nisi patris et matris; absit autem ut pater et mater locum habeant in divinis.

Secundo ibi: “Cum autem spiritus”. Magister quaerit quare cum Spiritus Sanctus non dicatur genitus, sed tantummodo procedens, Filius dicatur et genitus et procedens; et respondet quod Filius **/X 371b/** procedit nascendo, Spiritus autem Sanctus procedit per modum doni et dati et non per modum nati.

Tertio ibi: “Ac per hoc”. Redit ad solvendum primam quaestionem, dicens quod per hoc elucescere potest quare Spiritus Sanctus non dicatur Filius; et dicit quod hoc est quia procedit per modum doni; donum autem Filius dici non potest, quia munus ex sua ratione non habet quod generetur aut nascatur.

Postmodum ibi: “Inter generationem vero”. Magister inquit quomodo distinguantur generatio Filii et processio Spiritus Sancti, et circa hoc facit duo.

Primo enim assignat differentiam quandam inter spirationem et generationem, dicens quod Augustinus solvit hanc quaestionem Maximiano haeretico, eam saepius replicanti quod ideo Filius est genitus et Spiritus est procedens, quia si Filius diceretur, esset utique amborum Filius, quod inconvenienter attribueretur Patri et Filio, videretur enim quod unus esset pater et alius esset mater.

Secundo ibi: “quid autem excusat”. Se fert* [super*] ampliori investigatione, dicens quod in tantum differt processio et generatio, quod omne quod nascitur procedit, sed non omne nascitur quod procedit; unde habet se in plus procedere quam nasci, sicut bipes communius est quam homo; distinguere **/X 372a/** autem exquisitius nescio, non valeo, non sufficio, quia scriptum est Isaiae 53: “Generationem eius quis enarrabit?”

Postmodum ibi: “Nunc considerandum est”. Magister inquit utrum Spiritus Sanctus saltem possit dici ingenitus. Et circa hoc quatuor facit.

Primo enim determinat quod non ex dictis Augustini dicentis quod certa fides declarat Spiritum Sanctum nec genitum nec ingenitum dici posse, ne si dicamus ipsum ingenitum, duos Patres concedere videamur, et si genitum, duos Filios. Unde si Spiritus Sanctus diceretur ingenitus in hoc vocabulo, duorum Patrum suspicio oriretur, putaret namque quispiam forsitan quod in illa trinitate essent duo Patres, vel duo qui non essent de alio **/Vb 191va/** et ob hoc vocabulum ingeniti appropriatur soli Patri.

Secundo ibi: “Hieronymus tamen”. Magister obiicit ex dictis Hieronymi, qui dicit in regulis definitionum contra haereticos quod Spiritus Sanctus Pater non est, sed ingenitus atque infectus.

Tertio ibi: “Sed ut istam”. Magister concordat Hieronymum cum Augustino, dicens quod Augustinus accipit ingenitum pro improducto, ut omnis modus productionis negetur. Et secundum hoc dicit quod Spiritus Sanctus non est ingenitus, cum verissime sit productus. Hieronymus autem accepit ingenitum pro non producto per generationem, et secundum hoc verum est quod Spiritus Sanctus est ingenitus et infectus, quia nec factus, ut creaturae, nec generatus, ut Filius.

Quarto ibi: “Quod autem Hieronymus”. Magister ex verbis eiusdem Hieronymi praedictum elicit intellectum, et ponit quandam divisionem, quae patet in littera.

Et haec est sententia.

Utrum generatio et spiratio sint productiones alterius rationis

Et quia Magister quaerit hic utrum Spiritus Sanctus sit Filius, et quid intersit inter generationem
 55 Filii et processionem Spiritus Sancti, ideo inquirendum occurrit utrum generatio et spiratio sint
 productiones alterius rationis.

Quod distinguantur ex hoc solo, quod generatio est ab uno principio et spiratio a duobus.

Et videtur quod ex hoc solo sint alterius rationis, quod generatio est ab uno solo principio,
 60 scilicet Patre, spiratio vero a duobus; omnis enim distinctio in divinis reducitur ad relativam
 oppositionem, secundum Anselmum *De processione Spiritus Sancti*. Sed inter generationem et
 spirationem nulla est oppositio, nec esse potest nisi quatenus processio est a genito (ut ita sit a
 generante et genito), generatio vero a solo generante. Ergo generationis et processionis
 distinctio ex hoc est quod una est a duobus principiis, reliqua ab uno solo.

65 Praeterea, Richardus dicit 4 *De trinitate*, capitulo 13 et 14, quod in divinis secundum
 originem solam oportet quaerere differentiam. Sed inter generationem et spirationem nulla
 potest reperiri habitudo originis nisi quatenus spiratio est a duobus, videlicet a generante et
 genito. Igitur illud quod prius.

Praeterea, Idem Richardus dicit VI *De trinitate*, capitulo 17, /X 372b/ quod generatio in hoc
 70 differt a processione: quod est principalis modus procedendi. Exponit autem illam
 principalitatem ex hoc quod per generationem producitur, qui conformis est Patri in
 producendo, quia producitur, qui potest alium producere; per processionem autem producitur
 Spiritus Sanctus, qui alium producere non potest. Sed constat quod haec distinctio non esset in
 divinis nisi processio esset a duobus principiis ita quod genitus spiraret. Ergo distinguuntur per
 75 hoc generatio et spiratio.

Praeterea, ex hoc videntur distingui generatio et spiratio, ex quo distinguuntur inter se
 persona genita et spirata. Sed Richardus dicit I *De trinitate*, capitulo 5, quod in unitate
 substantiae in divinis sunt plures personae singulae a ceteris singulis proprietate distinctae, quia
 80 ibi est persona prima quae a semetipsa est, et non ab aliqua, et ibi est persona quae est ab una
 sola, et non a semetipsa, et ibi est persona tertia quae est a gemina persona, non autem ab una
 sola. Ex quo videtur innuere quod persona tertia ex hoc distinguatur quod habet esse a gemina.
 Ergo spiratio per hoc differet a generatione.

Praeterea, omnia quae distinguuntur penes aliquid distin-/Vb 191vb/-guuntur. Sed
 impossibile est imaginari aliquam differentiam inter generationem et spirationem nisi quatenus
 85 una est a duobus principiis, reliqua ab uno solo. Non possunt enim imaginari ut differentia
 penes formales terminos, qui sunt supposita, quia productiones priores sunt terminis, et potius
 causa sunt quod termini distinguantur. Sed nec penes formalia principia, quia intellectus et
 voluntas et omnia quae sunt in Deo, sunt idem quod divina essentia et re et ratione, ut <supra>
 [super Vb] declaratum est. Sed nec penes subiecta, quia ibi non sunt subiecta nisi supposita
 90 quae productionibus distinguuntur et constituuntur. Ergo inter generationem et spirationem
 nulla est differentia nisi quod haec a duobus est, illa ab uno solo.

Quod distinguantur penes terminos. Ulterius videtur quod distinguantur, sed penes formales
 terminos; motus enim distinguuntur ex terminis, ut patet ex III et V *Physicorum*, unde alteratio
 95 ex hoc differt ab augmento: quod alteratio est ad qualitatem, et augmentum ad quantitatem. Sed
 idem est iudicium de actione et passione, et universaliter de omni productione. Ergo
 productiones alterius rationis sunt in divinis, penes alium et alium terminum.

Praeterea, viae distinguuntur ex terminis. Sed productiones divinae sunt viae in personas.
 Ergo distinguuntur ex ipsis personis tamquam ex terminis.

100 Praeterea, penes illa videntur distingui productiones et motus, quibus solum distinctis,
 diversantur et motus et productiones. Sed descensus terrae deorsum et descensus aquae sunt
 alterius rationis, quia alius est terminus motus terrae, quia centrum universi, et alius terminus
 descensus aquae, quia superficies terrae. Ergo ex terminis oritur distinctio motuum et
 productionum.

105 Praeterea, quamvis motus non distinguerentur /X 373a/, penes terminos, tamen relationes
 habent quod ex terminis distinguantur, sicut patet quod alia est paternitas et alia similitudo, quia

una respicit quantitatem, alia vero substantiam. Sed productiones in divinis sunt relationes, et operationes relativae. Igitur ex terminis distinguuntur.

110 **Quod penes hoc distinguantur, quod sunt in diversis suppositis.** Ulterius videtur quod penes hoc distinguantur, quod sunt in diversis suppositis; relationes enim disparatae distinguuntur vel penes fundamenta vel penes subiecta, ut patet quod aequalitas et similitudo distinguuntur penes quantitatem et qualitatem. Sed relationes divinae, quae disparatae sunt, generatio scilicet et spiratio, distinguere non possunt penes fundamenta. Ergo restat quod penes supposita in quibus
115 sunt distinguantur.

Praeterea, contrario modo est de relationibus disparatis in Deo et in creatura, sicut et contrario modo est de essentia; in Deo enim eadem est essentia in distinctis suppositis, quod non reperitur in creatura. Sed sic est de relationibus disparatis in creaturis quod possunt esse in eodem supposito; idem namque Sortes similis est per qualitatem, et per quantitatem aequalis.
120 Ergo contrario modo erit in divinis quod relationes disparatae esse non potuerunt* in eodem supposito, sed per hoc distinguuntur: quod sunt in diversis suppositis.

Praeterea, ex hoc aliqua distinguuntur quod unum stare potest cum opposito alterius; idem namque simul esse non potest cum opposito suo. Sed generatio passiva stat cum opposito spirationis pa-/Vb 192ra/-ssivae, quia cum spiratione activa, per hoc quod sunt in diversis
125 suppositis, in Filio scilicet et in Spiritu Sancto. Ergo videtur quod penes supposita distinguantur.

Quod distinguantur penes formalia principia. Ulterius videtur quod distinguantur penes formalia principia, quia una est a voluntate, reliqua ab intellectu sive memoria; spiratio enim et generatio distinguuntur in quantum una productio habet modum liberum, reliqua modum
130 naturalem, Spiritus enim Sanctus procedit modo libero et secundum rationem libertatis. Sed hanc differentiam non habent nisi quia spiratio est a voluntate, generatio ab intellectu seu memoria. Ergo penes ista distinguuntur huiusmodi productiones.

Praeterea, generatio terminatur ad Verbum, spiratio vero ad Spiritum. Sed non plus Filius haberet rationem Verbi quam Spiritus nisi quatenus procedit mediante intellectu, spiritus vero
135 non, sed mediante voluntate. Igitur id quod prius.

Praeterea, generatio et spiratio distinguuntur ex hoc quod generatio est assimilativa productio ex sua formali ratione, spiratio vero videtur esse inclinativa. Sed huiusmodi assimilatio et inclinatio non potest eis competere nisi quatenus generatio est a memoria, quae est assimilativum principium, spiratio vero a voluntate, quae est principium inclinativum. Ergo
140 generatio et spiratio distinguuntur penes principia, quae sunt intellectus et voluntas. /X 373b/

Praeterea, generatio terminatur ad cognitionem subsistentem, quae Verbum est, spiratio vero ad subsistentem Amorem, qui est Spiritus Sanctus. Sed constat quod hoc non esset nisi generatio esset ab intellectu, spiratio vero a voluntate; emanat namque amor a voluntate et cognitio ab intellectu. Ergo istarum productionum distinctio ortum habet ab intellectu et
145 voluntate tamquam a principiis productivis.

Quod distinguantur se ipsis formaliter. Ulterius videtur quod se ipsis formaliter et quiditative distinguantur; prima namque distinctiva sunt simplicissima et se totis formaliter diversa, ut patet X *Metaphysicae*. Sed spiratio et generatio passive sumptae sunt constitutivae personarum
150 Spiritus Sancti et Filii, et per consequens distinctivae. Ergo se ipsis primo et formaliter distinguuntur. Et confirmatur, quia huiusmodi productiones sunt idem realiter quod relationes constitutivae.

Praeterea, ens et unum convertuntur, et per consequens unaquaeque res habet quod sit una et distincta se ipsa formaliter. Sed huiusmodi productiones sunt vere et realiter in Deo. Ergo se
155 ipsis formaliter distinguuntur.

Praeterea, unumquodque per suam formalem rationem habet quod distinguatur ab omni eo, quod non est de sua formali ratione, forma enim est distinctiva et definitiva ratio separat et distinguit. Sed generatio in divinis se ipsa est generatio formaliter, et spiratio se ipsa formaliter

est spiratio. Ergo ex rationibus formalibus eorum impossibile est generationem esse
160 spirationem, etiam quocumque alio per impossibile circumscripto.

Praeterea, quod est causa distinctionis personarum, videtur se ipso habere distinctionem. Sed Augustinus, V *De trinitate*, capitulo 17, assignat rationem quare Filius et Spiritus distinguantur ex processionebus eorundem, dicens quod Filius procedit nascendo, Spiritus vero procedit a Patre, non quomodo natus, sed quomodo datus. Similiter etiam XV *De trinitate* /Vb 192rb/-te,
165 capitulo 17, dicit quod ex cognitione et dilectione in nobis insinuat hic quaedam intelligibilis nativitatis et processionis distantia, quia non hoc est cogitatione conspiciere, quod appetere vel perfrui voluntate; et ex his infert ibidem in nobis esse parentem et prolem et tertiam voluntatem, quae simillima sunt illi summae trinitati, quae est in Deo. Ergo processiones istae sunt rationes distinctivae personarum, et per consequens distinguuntur se ipsis.

170

Quod nullo modo distinguantur huiusmodi productiones, nec sint alterius rationis. Sed in oppositum videtur quod huiusmodi productiones non sint alterius rationis, productiones enim eiusdem rationis sunt, quae ad idem formaliter terminantur, sicut patet quod omnes motus terminati ad albedinem dicuntur dealbationes. Sed generatio et spiratio terminantur ad idem
175 formaliter, quia formalis terminus utriusque est divina essentia, quae communicatur Filio et Spiritui Sancto. Ergo sunt productiones eiusdem rationis.

Praeterea, Commentator dicit, VIII *Physicorum*, commento 45, loquens contra Avicennam, quod mus generatus ex semine et ex putrefactione non est eiusdem speciei, nec homo potest generari ex terra, sed tantum ex semine; ex quo colligitur quod unius naturae non est nisi unus
180 modus communicandi. Sed natura divina est /X 374a/ summe una. Ergo generatio et spiratio, per quas communicatur, erunt unius [unio* Vb] modi et rationis eiusdem.

Praeterea, illae productiones non sunt alterius rationis, sed solo numero differentes, quae terminantur ad producta solo numero differentia. Sed Filius et Spiritus Sanctus non sunt supposita specie differentia, sed quasi numero. Igitur generatio et spiratio erunt eiusdem rationis
185 et solo numero differentes.

Responsio ad quaestionem. Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque inquiretur quomodo generatio et spiratio passive sumptae distingui habent secundum diversas opiniones doctorum. Secundum vero inquiretur quid veritatis sit in hoc iuxta id quod
190 videtur. Tertio quoque de generatione et spiratione activa videbitur secundum opiniones doctorum. Quarto autem dicetur de eis, iuxta id quod videtur.

Articulus Primus

**Opinio Thomae, parte prima, quaestione 37, articulo 2, in solutione ultimi argumenti, et
195 quaestione 28, articulo 3, in solutione ultimi argumenti.** Circa primum ergo considerandum quod aliqui distinctionem assignarunt inter generationem Filii et processionem Spiritus Sancti ex hoc quod generatio Filii est ab uno solo, spiratio vero est a duobus, scilicet Patre et Filio. Unde quidam ordo est inter generationem Verbi et processionem Amoris, quia non amatur nisi quod est in intellectu conceptum, et secundum hoc necesse est generationem a spiratione
200 distingui. Haec autem opinio fulciri potest quinque rationibus superius primo loco arguendo inductis.

Declaratio eiusdem opinionis secundum Hervaeum, Scripto Primo. Fuerunt autem alii opinionem praedictam declarantes, dicendo quod illa ad invicem realiter distinguuntur in
205 divinis, quae relativam oppositionem includunt; nulla namque distinctio est in divinis, nisi per relationes originis oppositas. Quod patet, tum quia omnis distinctio quae est in divinis includit impossibilitatem in eodem supposito, unde omnia distincta realiter pertinent ad diversa supposita, cum ergo omnis impossibilitas oriatur ex aliqua /Vb 192va/ oppositione, nulla vero alia oppositio in divinis sit nisi tantummodo relativa; restat ut omnis distinctio in divinis
210 sumatur ex oppositione relativa. Tum quia Anselmus dicit quod persona quaelibet producens in divinis omnia de necessitate personae productae communicat, in quibus non opponitur sibi;

constat autem quod personae non opponuntur ad invicem nisi relative, et ita omnis distinctio in
divinis ortum habet ab oppositione relativa originum; sed generari et spirari habent
oppositionem relativam originis, quia de ratione formali spirari est quod sit productus ab aliquo
215 producto et procedens ab aliquo procedente, de ratione namque spirari est quod sit a genito et a
generante, unde habet per se oppositionem relativam et ad generare et ad generari, non enim
accidit Filio quod sit genitus in quantum Spiritus Sanctus est ab eo, quemadmodum Patri accidit
quod sit spirans in quantum Filius est a Patre, sed per se et ex sua ratione /X 374b/ est a Filio in
quantum genitus est; ergo spirari realiter differt a generari et generare propter relativam
220 oppositionem.

Ex istis autem apparet secundum sic dicentes quare processio Filii dicitur per modum
intellectus et processio Spiritus per modum voluntatis, hoc enim non est quia per unam
communicetur tantum quod pertinet ad intellectum et aliam quod pertinet ad voluntatem, sed
quia una est ab uno solo principio, reliqua a duobus, quae taliter duo sunt quod unum est ab alio.
225 In nulla enim alia productione hoc reperitur in creaturis quod aliquid procedat a duobus, quorum
unum procedat ab alio, nisi in productione quae est secundum voluntatem. Et propter hanc
similitudinem dicitur quod Spiritus procedit per modum voluntatis, de ratione quidem spirari est
quod procedat a duobus, quorum unum sit genitum, et quod ambo simul et uniformiter se
habeant in producendo.

230 **Opinio Aegidii.** Dixerunt autem alii quod huiusmodi productiones distinguuntur propter
terminos, sunt enim viae ad aliam et aliam personam; viae autem realiter distinguuntur propter
distinctionem terminorum realem. Et ad hanc opinionem sunt rationes quatuor superius
arguendo secundo loco inductae.

235 **Opinio Alexandri de Alexandria.** Dixerunt quoque alii quod spiratio et generatio passive
sumptae vel possunt accipi ut sunt idem cum relationibus constitutivis personarum, generatio
quidem cum filiatione et spiratio cum relatione quae Spiritum Sanctum constituit, et secundum
hoc huiusmodi processiones se ipsis formaliter distinguuntur, cum sint personarum principia
240 distinctiva; vel possunt accipi ut quasi praeviae ad relationes constitutivas, eo modo quo
dicimus generationem passivam esse velut viam ad filiationem et spirationem esse viam ad
relationem innominatam, quae Spiritum Sanctum constituit, et secundum hoc distinguuntur
huiusmodi processiones penes terminos, viae namque ex terminis habent quod differant et
distinguantur.

245 **Opinio Godofredi, Quolibet III, quaestione 3.** Dixerunt autem alii quod processiones istae
ideo distinguuntur quod una invenitur cum opposito alterius, nam generari invenitur cum spirare
in persona Filii, et nisi hoc esset, non appareret aliqua distinctio inter spirari et generari, nec
inter vim spirativam et generativam. Haec autem opinio fulciri potest rationibus tribus superius
250 tertio loco arguendo inductis. /Vb 192vb/

Opinio Henrici, V quolibet, quaestione prima. Dixerunt vero alii quod earum distinctio
sumitur penes principia productiva, quae sunt intellectus et voluntas, haec enim sunt
fundamenta actuum notionalium, propter quod oportet quod distinguantur in Deo secundum
255 rationem, non quidem per comparisonem ad extra, sed ad intra, ad quam quidem distinctionem
secundum rationem in principiis existentem sequitur realis principiatorum distinctio et
emanationum. Et haec opinio innititur rationibus quatuor superius arguendo quarto loco
inductis. /X 375a/

260 **Opinio Bonaventurae et Scoti et Gari*.** Dixerunt deinde* [demum*] alii quod huiusmodi
processiones, quamvis ex terminis distinguantur arguitive, potest enim ex distinctione
terminorum argui distinctio viarum, quamvis etiam distinguantur ex formalibus principiis
productivis, quasi principiative, nihilominus se ipsis distinguuntur formaliter et quiditative sicut

duae relationes disparatae. Haec autem opinio innititur rationibus quatuor superius quinto loco
265 inductis.

Et hoc sufficiat de opinionibus doctorum, in quo primus articulus terminetur.

Articulus Secundus

Quid dicendum circa hoc secundum veritatem.

270

Circa secundum autem considerandum quod huius quaesiti veritas ex quatuor propositionibus
colligi potest, duabus siquidem affirmativis et duabus negativis.

**Quod generatio et spiratio nec penes terminos nec penes principia nec ex coexistentia
275 generationis cum spiratione activa formaliter distinguuntur, contra quatuor opiniones.**

Prima ergo negativa propositio est quod huiusmodi processiones non distinguuntur formaliter
penes productiva principia, nec penes formales terminos, nec penes simultatem alterius eorum
cum opposito alterius. Quae quidem propositio potest insimul declarari quoad sua tria membra,
quia nulla res distinguitur formaliter per aliquid extrinsecum ab ea, cum omnis res per suam
280 propriam realitatem ab omni re alia distinguatur. Sed productiva principia et termini producti et
simultas oppositi sunt extrinseca rei. Ergo per ista nulla res ultimate et simpliciter distinguetur.
Si ergo spiratio et generatio distinguuntur realiter, earum ultimata et formalis distinctio erit ex
intimis earundem, et non penes aliquod illorum trium quae sibi extrinseca sunt.

Et si dicatur quod immo partes ligni distinguuntur per quantitatem, et similiter partes
285 albedinis, et tamen quantitas distinguitur a ligno et albedine, dicendum quod multo secus est de
quantitate et de omni alia entitate, quoniam ipsa non est formaliter nisi partibilitas sive
distinctio, et esse aliquid extra aliud partibiliter et dimensionum. Unde nullum mirabile, si per
eam capit lignum vel albedo quod sit actu partes habens, et multiplicata per partes, iste enim est
effectus formalis quantitatis, quae mera partibilitas est, ut videbitur in secundo et declaratum
290 extitit in tractatu *De principiis philosophicis*, libro 3. Nec sic autem est de terminis seu
productivis principiis, quia ista non sunt formaliter distinctiones, ut per eas formaliter generatio
et spiratio distinguantur.

Potest autem ulterius in speciali, quoad tria membra propositio declarari. Quod enim penes
intellectum et voluntatem tamquam penes productiva principia processiones non distinguantur,
295 ex supradictis apparet; ubi enim non est elicativum principium nec productiones elicitaes sunt, ibi
pro-/Vb 193ra/-cessionum distinctio ex productivis principiis ortum habere non potest. Sed
saepe extitit declaratum quod ista in divinis non sunt. Igitur ex ipsis non habet ortum distinctio
processionum. /X 375b/

Praeterea, ex illis non oritur distinctio, quae penitus sunt idem et re et ratione. Sed supra
300 probatum est quod intellectus et voluntas coincidunt in idem penitus secundum rem et rationem,
quia in rationem deitatis. Igitur ex ipsis processionum distinctio sumi non potest.

Praeterea, processionum distinctio ortum non habet ex iis quorum distinctio attenditur penes
ipsasmet processiones. Sed dictum est supra quod intellectus et voluntas distinguuntur penes
connotata, unum autem ex connotatis per intellectum potest esse dictio Verbi seu generatio, et
305 ex connotatis per voluntatem emissio Spiritus sive spiratio flatus, saltem eo modo quo
intellectus et voluntas activa sunt. Ergo productiones non distinguuntur penes intellectum et
voluntatem, sed magis e converso, intellectus et voluntas penes productiones connotative
distingui possunt.

Quod vero penes terminos processiones non distinguantur, satis etiam patet; ubi enim
310 productiones non distinguuntur ex terminis, ibi improprie dicitur productiones penes terminos
distingui, nisi idem distingueretur penes se. Sed constat quod generatio passiva non est aliud
quam ipsa filiatio, nec umquam Filiatio est terminus in quem sit via generatio, alias idem esset
via ad se ipsum; et idem patet de spiratione respectu relationis Spiritus Sancti constitutivae.
Ergo nihil est dictu quod istae productiones penes terminos distinguantur.

315 Praeterea, ubi non sunt formales termini per productiones acquisiti, sed sunt ipsaemet
productiones illatae, absque hoc quod aliquis formalis terminus capiat esse per eas, ibi distinctio

productionum sumi non potest penes formales terminos. Sed ita est in divinis, ut supra probatum est. Igitur id quod prius.

320 Praeterea, nullum prius distinguitur per posterius, nec causa distinguitur per effectum. Sed dato quod in divinis essent formales termini esse capientes per huiusmodi productiones, termini essent quodam modo posteriores productionibus et productiones essent quodam modo causae formalium terminorum, eo modo quo ratio causalitatis possibilis est in divinis. Igitur dato quod ista locum haberent in divinis, adhuc penes terminos non distinguerentur productiones, nisi forte innotescerent et arguiverent.

325 Quod vero non distinguantur propter coexistentiam unius cum opposito alterius satis patet, manente enim eadem ratione, videtur idem manere. Sed spirare simul stat cum generare in Patre, sicut generari in Filio. Ergo si hoc sufficit ad distinguendum realiter generari a spirari, sufficit ad distinguendum realiter generare a spirare, ex quo eius oppositum, quod est generare, coexistit cum spirare in Patre.

330 Praeterea, deitas coexistit cum spirare in Patre et Filio, sed non ex hoc distinguitur realiter a spirare, immo est eidem realiter cum eo. Ergo nec generari distinguitur realiter a spirari, pro eo quod in Filio simul stat cum spiratione activa.

335 Praeterea, ad hoc quod aliquid simul stat cum nigredine, non habet quod nigredini opponatur; quantitas enim simul stare potest cum albedine et nigredine, et similiter calor et alia multa. Sed hoc non esset, /Vb 193rb/ si omne quod simul stat cum uno oppositorum, /X 376a/ alteri opponeretur. Ergo non est verum quod generari distinguatur a spirari, quia simul stat cum spirare in Filio.

Quod processiones non distinguuntur ex hoc quod una sit a solo Patre, reliqua vero a Patre et Filio, contra opinionem primam. 340 Secunda vero propositio negativa haec est quod generatio et spiratio nullatenus distinguuntur simpliciter et ultimate ex hoc quod generatio est in principio improducto, spiratio vero a principio improducto simul et a principio producto per actum dicendi; aut enim ex ista varietate se tenente ex parte principii derelinquitur in productionibus formalis varietas rationis, ut sint intrinsece et formaliter alterius rationis, aut 345 nulla talis formalis diversitas derelinquitur in productionibus ipsis. Sed non potest dari quod nulla talis derelinquatur, quia secundum hoc non sunt productiones formaliter alterius rationis in se, hoc autem est contra veritatem et dicta sanctorum, tunc enim Filius non habebit magis rationem Verbi quam Spiritus Sanctus, nec e converso. Restat igitur ut det primum, videlicet quod ultra illam diversitatem quae se tenet ex parte principii, derelinquatur in ipsis 350 productionibus intrinseca alietas etiam formalis, et per consequens suis formalibus rationibus distinguantur.

Praeterea, quando aliquid participat proprietatem extrinsecam alicuius, et non eius rationem intrinsecam et formalem, non dicitur esse illud principaliter et per prius; unde participans figuram hominis, ut simia vel pictura, non dicitur simpliciter esse homo, sed magis secundum 355 quid et diminute, pro eo quod carent rationalitate quae est formalis ratio hominis. Sed in verbo et in spiritu se habent tamquam extrinseca quod verbum sit ab uno, spiritus autem a duobus; tamquam autem intrinseca sunt quod verbum constituatur in esse relucenti et spiritus in esse procedenti, esse namque ab uno vel a duobus potest reperiri in aliis quam in verbo vel spiritu et in aliis quam in natura intellectuali, esse autem verbum et spiritum competit soli naturae 360 intellectuali. Ergo si Verbum et Spiritus in divinis solum participant esse ab uno et esse a duobus, non participabunt nisi proprietatem extrinsecam Verbi et Spiritus, non intrinsecam aut formalem, et per consequens non erit in eis ratio Verbi et Spiritus principaliter, cuius oppositum Damascenus dicit libro I et Augustinus, XV *De trinitate*, qui dicit verbum nostrum esse diminutum et Verbum Dei principaliter dici.

365 Praeterea, a quo habent generatio et spiratio esse secundum suas completas rationes, ab eo habent et in ordine ad ipsum suam completam distinctionem; constat enim quod distinctio generationis a spiratione consequitur eorum rationes completas. Sed generatio et spiratio sunt secundum suas completas rationes sufficienter et perfecte et a solo Patre, aequae enim perfecte solus Pater spirat sicut simul Pater et Filius; et similiter Pater perfecte generat. Ergo generatio et

370 spiratio perfecte distinguuntur in ordine ad solum Patrem, et per consequens non habet spiratio quod a generatione distinguatur per hoc quod est a Filio, cum distinguatur ab ea etiam secundum quod est a Patre.

Praeterea, quod generatio distinguatur a spiratione /**X 376b**/ hoc est secundum Augustinum quia est a Patre dissimiliter. Est namque generatio per modum nativitatis et spiratio per modum
375 donationis, ut dicit *V De trinitate*, capitulo 17. Et similiter Damascenus idem testatur, liber I, capitulo 10, dicens quod Filius ex Patre generabiliter, Spiritus Sanctus autem et ipse ex Patre est, sed non generabiliter sed processibiliter. Anselmus quoque dicit, *De processione Spiritus /Vb 193va/ Sancti*, capitulo 3, quod Spiritus Sanctus, qui existit de Patre procedendo, non est ille qui existit de Patre nascendo. Ex quibus colligitur quod in hoc generatio et spiratio
380 distinguuntur in ordine ad Patrem, quia sunt a Patre dissimiliter. Sed non sunt a Patre dissimiliter ex hoc quod unum est a Patre solo, reliquum vero a Patre et Filio; illam namque dissimilitudinem non habent in ordine ad solum Patrem. Ergo generatio et spiratio non distinguuntur quia spiratio sit a genito.

Nec valet si dicatur quod in ordine ad Patrem distinguuntur ex hoc quod sunt ab eo sub
385 quodam ordine, est enim verbi generatio primo et deinde spiratio, saltem secundum nostrum modum intelligendi. Siquidem hoc non valet. Tum quia ponentes oppositum huius conclusionis dicunt quod generatio et spiratio distinguuntur ex hoc solo quod generatio est a Patre solo, spiratio vero a Patre et Filio. Tum quia ille ordo non est in re, sed tantum secundum nostrum modum intelligendi; distinctio vero generationis et spirationis in ordine ad Patrem est secundum
390 rem non secundum nostrum modum intelligendi tantum, loquimur enim hic de generatione et spiratione passiva. Tum quia a sole, ordine quodam procedit radius et calor, nec tamen generatio radii dicitur dictio verbi, nec productio caloris processio Spiritus Sancti aut spiratio. Restat <ergo> [enim] ut generatio et spiratio, prout sunt a Patre, dissimilitudinem quandam habeant, et difformitatem qua intrinsece distinguantur.

Praeterea, si de ratione spirationis sit per se et essentialiter quod sit a generante et a genito,
395 aut est de ratione eo quod sit ab utroque copulativum, aut quod sit ab utroque divisim. Sed non quod sit ab utroque copulativum, quia tunc perfecte non esset a quolibet divisim, si de ratione eius esset quod aspiceret utrumque coniunctim. Est ergo de ratione eius esse a quolibet perfecte et complete divisim, et secundum hoc in ordine ad quemlibet perfecte distinguetur a generatione.
400 Non solum ergo ab ea perfecte distinguitur in quantum est a Filio, immo etiam Filio circumscripto, in quantum est a Patre.

Praeterea, illud non causat distinctionem spirationis quod accidit spirationi ipsi et est extra rationem ipsius. Sed extra rationem Filii in quantum spirat est esse genitum. Unde generari accidit sibi, spirator enim in quantum spirator non est genitus, alioquin Pater non esset spirator;
405 et iterum sicut Filius non eo quo genitus est creator, sic nec eo quo genitus est spirator, generare insuper et generari accidunt principio spirativo. Unde nec Pater spirat in quantum generans, nec Filius in quantum generatus. Ergo esse a genito non distinguit spirationem a generatione.

Praeterea, si ratio Spiritus et voluntariae processio pro eo salvari dicitur in divinis, quod ista reperiuntur in processione voluntaria reperta in creaturis, esse videlicet a duobus, quia a
410 verbo et a voluntate, oportebit consimilem modum procedendi a duobus hic et ibi reperiri. /**X 377a**/ Sed hoc non reperitur, Amor enim vel est a voluntate elicitive et a Verbo tantum terminative et tamquam a causa sine qua non, secundum quod aliqui volunt, vel est a Verbo, quantum ad specificationem actus et a voluntate, quantum ad exercitium et determinationem eiusdem actus ut dicunt alii. Nullum autem istorum salvatur in divinis. Ergo processio per
415 modum voluntatis non est in divinis propter consimilem modum essendi a duobus.

Praeterea, si /**Vb 193vb**/ spiratio includit in sua ratione ut sit per se ab aliquo genito, aut illud genitum habet tantum rationem producti in generali, aut rationem talis producti in speciali, videlicet per generationem. Sed non potest poni quod sufficiat primum, quia secundum hoc caloris productio erit spiratio, cum sit a radio producto, et generato a sole; si vero detur
420 secundum, habetur propositum, sicut enim in divinis est vera generatio secundum propriam rationem, non quia sit ab uno solo, sic ibi erit spiratio secundum propriam formalem rationem, non quia sit tantummodo productio a duobus.

Praeterea, dualitas quae ponit distinctionem in aliqua productione, debet pertinere per se ad rationem principii illius productionis. Sed non est sic respectu spirationis, quia Pater et Filius
 425 non spirant in quantum duo principia, nec sicut duo spiratores, nec per duas virtutes, sed quasi essent omnino unum. Ergo huiusmodi dualitas nihil facit, aequae enim spiratio est ab uno principio, sicut et generatio.

Praeterea, secundum eos qui negant hanc propositionem, processio Amoris in divinis non debet dici generatio, quia res intellecta in intellectu fit secundum suam similitudinem, quae
 430 similitudo potest dici 'Verbum', cuius similitudinis productio appellari potest 'generatio', cum omne generans generet sibi simile. Processio autem quae attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid, quia voluntas ex hoc fit in actu, quod habet inclinationem in rem volitam. Unde haec sunt verba eorum in quaestione, qua quaerunt utrum processio amoris
 435 in divinis sit generatio, et est summa solutionis eorum in hoc quod productio Verbi est generatio cuiusdam similitudinis, processio vero est per modum cuiusdam inclinationis et motionis, ac impulsus. Sed isti modi salvari possunt in ordinem ad solum Patrem, nec enim ratio similitudinis consistit in esse ab uno solo, nec inclinationis et motionis in esse a duobus. Non ergo penes illa spiratio et generatio distinguuntur.

Praeterea, illud non inducit in productionibus rationis diversitatem, quod potest indifferenter competere productionibus eiusdem et alterius rationis. Sed esse ab uno et a duobus, potest
 440 indifferenter competere productionibus eiusdem rationis et alterius, unde tractus navis potest esse ab uno solo et a pluribus, et similiter generatio caloris potest esse ab uno solo, sicut ab igne, et a duobus, sicut a ferro et lapide, ex quorum collisione generatur flamma in aere. Ergo
 445 istud non potest esse ratio quod generatio et spiratio sint productiones alterius rationis. /X 377b/

Quod actiones et passiones, et similiter relationes, et universaliter praedicamenta importantia formas non absolutas se ipsis formaliter distinguuntur, sicut absoluta praedicamenta. Tertia quoque propositio quae procedit affirmative, haec est quod non solum
 450 formae absolutae, cuiusmodi sunt substantia, quantitas, qualitas, immo formae non absolutae (quas Auctor *Sex principiorum* vocat extrinsecus advenientes, pro eo quod earum entitas non consideratur intra subiectum sed penes aliquid extrinsecum, sicut per oppositum tota entitas absolutorum intra subiectum consistit, ut patet de albedine et omni quantitate et qualitate; unde Boethius nominat praedicamenta absoluta entia, praedicamenta vero importantia formas
 455 extrinsecus advenientes appellat circumstantias in libro suo *De trinitate*), sunt autem /Vb 194ra/ huiusmodi formae septem praedicamenta, relatio videlicet et sex principia, et de omnibus istis currit haec propositio: quod non solum albedo et calor et humiditas se ipsis formaliter distinguuntur, immo paternitas et dominum, generatio et alteratio, dealbari et denigrari, esse ibi et hic et sic de caeteris praedicamentis.

Huic tamen obviare videtur quod similitudo et aequalitas solum differunt penes fundamenta, unitas enim, prout est in quantitate, est aequalitas, et ut est in qualitate appellatur similitudo, unitate in se ipsa non existente alterius rationis. Sed hoc non est nisi quia relationes distinguuntur per fundamenta et non per rationes proprias. Igitur relationes se ipsis formaliter non distinguuntur.

Praeterea, quando aliquid est uniforme, characterizatur tamen et determinatur per multa subiecta, illud se ipso formaliter non distinguitur, ut est in multis, sed magis per illa multa, sicut patet de concavitate, quae prout determinatur per nasum et characterizatur dicitur simitas, prout vero per tibiam et crus dicitur ritinum, concavitas quidem in istis eiusdem rationis est, et tota distinctio est penes materias et subiecta. Sed relatio est eiusdem rationis ubique, cum non sit nisi
 470 pura habitudo; unde est aliquid secundae impositionis nisi determinetur et characterizetur per fundamenta diversa, ita quod habitudo inter qualitates sit similitudo, in quantitibus aequalitas, in superpositis dominium; et in productis principium et principiatum. Ergo non possunt se ipsis formaliter relationes distinguui.

Praeterea, per inductionem patet quod in praedicamento relationis accipiuntur species et
 475 differentiae penes terminos et fundamenta, et similiter in praedicamento actionis et passionis;

illuminatio namque et calefactio differunt penes lumen et calorem, in tantum quod ipsa
 praedicamenta secundum conceptus generalissimos etiam distinguuntur penes varia fundamenta,
 ut ubi et quando penes locum et tempus. Hoc autem non esset, si se ipsis haberent unde
 distinguerentur formaliter secundum species, et genera ac differentias. Igitur se ipsis formaliter
 480 non distinguuntur.

Sed istis non obstantibus dicendum est sicut prius. Est namque considerandum quod sicut in
 absolutis formae propriae determinant sibi proprias materias, sicut Commentator dicit, II
Metaphysicae, contra Avicennam, non enim forma leonis invenitur in ferro vel lapide, sed in
 carnibus et ossibus reperitur leonis anima; sic est de formis respectivis, nam in diversis
 485 fundamentis inveniuntur habitudines **/X 378a/** alterius rationis, non quidem quod alteritas
 causetur ex ipsis fundamentis, sed reperitur in ipsis, sicut nec anima leonis differt ab anima
 cervi, sed magis e converso, membra leonis differunt a membris cervi quia anima differt ab
 anima, ut Commentator dicit I *De anima*. Sic igitur relationes sunt alterius rationis se ipsis
 formaliter, quamvis ista alietas reperiatur in diversis fundamentis, sicut et simitas est figura
 490 alterius rationis, quae reperiri non potest nisi in naso, vel vero vel effigiato.

Quod igitur relationes, et actiones ac passiones, et cetera praedicamenta, quae dicunt rerum
 circumstantias sive formas extrinsecus advenientes, sint formaliter alterius rationis et non per
 fundamenta, quamvis in fundamentis declarari multipliciter potest. Si enim relationes essent
 alterius rationis propter fundamenta et terminos, non possent esse rationis alterius, manentibus
 495 eisdem **ter-/Vb 194rb/-**minis et eisdem fundamentis; sed cum ignis generat ignem sibi
 simillimum in calore, calor existens in igne generante et ille qui existit in igne genito sunt
 fundamenta et termini duarum relationum alterius rationis, videlicet similitudinis, quae est
 relatio de primo modo, et relatio principii, quae est de secundo modo. Constat enim quod unus
 calor est principium alterius et quod secundum eos assimilatur genitum generanti. Ergo
 500 relationes sunt alterius rationis se ipsis formaliter et in eisdem fundamentis et terminis.

Praeterea, Philosophus dicit in *Praedicamentis* quod diversorum generum et non
 subalternatim positorum diversae sunt species et differentiae; et in I *Posterioribus* ait quod
 praedicamentorum coordinationes sunt impermixtae; et VII *Metaphysicae* probat quod
 differentiae dividentes genus debent esse essentialia et per se pertinentes ad rationem generis,
 505 sicut bipedalitas per se pertinet ad pedalitatem, non autem per accidens, sicut alatum per
 accidens respicit habens pedes. Sed si relationes et alia predicamenta quae important
 circumstantias sive formas extrinsecas non habeant per se genera, species, et differentias,
 nullum istorum salvatur. Nec enim diversorum generum erunt diversae species et differentiae,
 non praedicamentales coordinationes impermixtae erunt, per se pertinentes ad rationem generis,
 510 si praedicamenta huiusmodi non habeant se ipsis formaliter differentias distinctivas, quibus sint
 alterius rationis, sed omnis eorum alteritas sit ex terminis et fundamentis. Igitur impossibile est
 illud poni.

Praeterea, cui competit quod maius est, potest competere id quod minus, sed alteritas rationis
 quam habent conceptus generalissimi, est maxima diversitas, conceptus enim generalissimi sunt
 515 primo diversi, et prima intellecta, et primae maneries rerum omnino alterius naturae, nullam
 habentes communem naturam, ut Commentator expresse dicit III *Metaphysicae*, commento 10,
 et VIII, commento 16. Ergo cum relatio et praedicamenta circumstantia<s> [et] importantia se
 ipsis formaliter habeant quod sint quidem conceptus generalissimi omnino alterius rationis et
 primo diversi, multo fortius se ipsis formaliter habebunt specificas **/X 378b/** differentias
 520 constitutivas et divisivas, quae minorem alteritatem important.

Praeterea, Philosophus dicit, X *Metaphysicae*, quod differentia materialis non diversificat
 speciem, masculinum enim et femininum non variant speciem hominis. Sed praedicamentum
 relationis habet in se diversas species, et similiter praedicamentum actionis, et sic de aliis, alias
 non essent per se praedicamenta, si species non haberent. Igitur specifica distinctio quae
 525 reperitur in ipsis non est materialis, et per consequens non est solum per fundamenta vel
 terminos, quamvis non sit nisi in ipsis.

Praeterea, in nulla natura invenitur quod est materiale distinctum et proprium illi naturae
 quin reperiatur quod est formale, ut Commentator dicit in II *De anima*; ait enim, commento 60,

quod melius est aestimare quod diversitas formarum sit causa in diversitate materiae quam quod
 530 diversitas materiae sit causa diversitatis formarum. Sed conceptus generis generalissimi est
 quasi materialis et potentialis, conceptus vero differentiarum formales, et qui extrahuntur de
 potentia conceptus generalissimi. Ergo si in relationibus reperitur per se et proprie conceptus
 generalissimus qui est materialis, multo fortius reperientur conceptus differentiarum
 specificarum qui actuales sunt et formales.

535 Praeterea, inductive patet quod licet ista sint in distinctis fundamentis, nihilominus se ipsis
 formaliter distinguuntur, sicut formae alterius rationis reperiri habent in ma-/Vb 194va/-teriis
 alterius rationis. Hoc autem apparet in similitudine et aequalitate, commensuratio namque quae
 est aequalitas alterius rationis est a conformitate quae est similitudo. Unde intellectus praecise
 sumens rationem conformitatis et commensurationis et principii et domini, statim apprehendit
 540 quod se ipsis differunt formaliter et sunt alterius rationis; eodem quoque modo patet de actione
 et passione et ceteris praedicamentis. Igitur id quod prius.

Nec instantiae supra positae debent ullum movere. Non quidem prima, quia iam patuit
 quomodo similitudo et aequalitas etiam se ipsis formaliter distinguuntur et sunt formae alterius
 rationis in proportionalibus fundamentis.

545 Nec etiam secunda, quia licet conceptus generalissimus quem relatio seu habitudo importat
 omnibus relationibus sit communis, nihilominus relationes specificae distinguuntur et sunt
 habitudines specificae diversae, sicut conceptus generalis substantiae, qui est concipi per
 modum quale quid, specificatur per hominem et leonem, qui significant quale quid alterius
 rationis.

550 Nec etiam tertia movere debet, inductio namque solum ducit ad hoc quod relationes et
 praedicamenta circumstantias importantia reperiuntur diversari in fundamentis alterius rationis,
 sed ex hoc non concluditur quin se ipsis formaliter diversentur in illis, immo magis istud
 concluditur, cum formae et materiae debeant mutuo proportionari et sibi coaptari.

Colligitur itaque ex praedictis quam falsum sit principium aliquorum qui dicere voluerunt
 555 quod genus relationis non habet per se genera subalterna, nec species specialissimas, nec
 specificas differentias; et similiter, quam sit frivolum et /X 379a/ voluntarium fundamentum
 aliorum dicentium quod relationes disparatae aut productiones non possunt esse se ipsis alterius
 rationis et realiter differentes.

560 **Quod de facto generari et spirari se ipsis formaliter distinguuntur in Deo.** Quarta deinde*
 propositio est etiam affirmative procedens, quod generatio et spiratio sumptae quasi passive in
 divinis distinguuntur formaliter se ipsis. Quandocumque enim aliqua sunt alterius rationis etiam
 ubi habent diminutum esse et quasi fictitium et intentionale, multo fortius se ipsis distinguuntur,
 ubi habent secundum proprias rationes verum esse et reale. Res quidem sic se videntur habere
 565 ad distinguere, sicut se habent ad esse. Sed spiritus et verbum, dictio et spiratio in nobis se ipsis
 formaliter distinguuntur per suas proprias rationes, in quibus tamen non habent nisi esse
 diminutum et intentionale ac quasi fictitium. Mens quidem coram se posita in esse conspicuo et
 formato se ipsa differt ab eadem mente extra se lata et in esse dato et elargito posita per vim et
 votum amoris. Et patet quod istae positiones sunt alterius rationis: poni coram se et poni extra
 570 se, et similiter poni in esse conspicuo et poni in esse votivo, et poni in esse formato et poni in
 esse lato et condonato. Unde quilibet experitur ista esse alterius rationis, et per consequens
 spirari, quod nihil aliud est quam in esse lato poni, esse alterius rationis a generari, quod nihil
 aliud est quam poni in esse conspicuo et objective formari. Ergo cum in divinis non sint ista
 fictitia et intentionaliter, sicut in nobis, immo realiter et vere, non debet mens ambigere quin
 575 suis formalibus rationibus distinguantur.

Huic tamen obviare videtur quia quod est alicubi fictitium, non potest alibi esse verum. Sed
 in mente nostra rei /Vb 194vb/ conceptae apparitio fictitia, est insuper et amantis latio extra se
 et egressus est quid fictitium. Ergo non poterit in Deo esse verum.

580 Praeterea, de ratione verbi non videtur esse quod sit aliquid livens* vel apparens objective;
 sed nec de ratione Spiritus quod sit aliquid latum aut egrediens amative. Ergo ista attribuere Deo

est omnino poeticum et parabolicum, quia nec in nobis secundum veritatem amans dicitur procedere in amatum nisi secundum metaphoram quandam.

Sed istis non obstantibus dicendum est sicut prius, nullum enim votum divinum remanet non impletum, sed quantum est ex voto cuiuslibet amantis, sua vita et suus animus et quicquid est
585 transfertur in amatum, et datur ac procedit in amatum, et licet ista non fiant secundum rem, fiunt tamen secundum votum. Unde amans realiter est in se et secundum votum procedit extra se. Ergo in Deo, cuius votum frustratorium esse non potest, de necessitate est talis processio secundum rem. Et similiter probari potest de Verbo, omnis enim intellectus satagit rem intellectam ponere coram se et fingit rem, quantum potest; ergo in Deo necesse est ut res vere in
590 esse formato ponatur. Et hinc est quod Augustinus verbo attribuit esse lucens XV *De trinitate*, capitulo 11, cum dicit quod verbum feris sonans signum est verbi quod intus lucet; et iterum esse apparens eodem XV, capitulo 21, cum ait quod verbum intimum quod nullius linguae est /X 379b/ est intelligentia quae apparet in cogitatione; et iterum esse conspicuum XIV *De trinitate*, capitulo 6, cum ait quod mens quasi geminatur dum se intelligit ut in se sit conspiciens
595 et ante se conspicua; et similiter esse positum in conspectu in eodem capitulo, ubi dicit quod tanta vis est cogitationis, ut nec ipsa mens in quodam suo conspectu se ponat, nisi quando se cogitat.

Nec procedunt instantiae, non est enim verum quin aliqua fictitio modo possint esse alicubi, quae tamen alibi realiter sunt et vere; colores enim sunt in collo columbae, tamen fictitiae et
600 secundum esse apparens, cum similes colores possint alibi vere et realiter reperiri. Non est etiam haec adaptatio poetica vel fabulosa, cum procedat ex dictis Augustini et ex experientia mentis nostrae, secundum quam possumus conspiciere illam beatam trinitatem, sicut Augustinus dicit XV *De trinitate*, capitulo 24, quod qui vident suam mentem, videre possunt et in ea trinitatem istam de qua multis modis, ut potui, disputavi, speculum quidem vident, sed usque ad eo non
605 vident per speculum eum, qui est, nunc videmus ut nec ipsum speculum quod vident, sciant esse speculum et imaginem. Hoc Augustinus. Et loquitur contra illos qui ex his quae conspiciunt in creata imagine mentis nostrae, nequeunt conscendere ad trinitatem increatam, omni imperfectione semota.

Ex praedictis itaque quatuor propositionibus colligi potest, quid veritatis sit in praesenti
610 quaesito, quoniam distinguuntur Verbum et Spiritus, generatio et spiratio suis formalibus rationibus et sunt propriissimae in Deo. Patet etiam quare Spiritus non potest dici Filius, quia non procedit quo modo formatus et in esse conspicuo positus, quod est esse similitudinarium, et esse natum ac conceptum, sed procedit quo modo datus et in esse egresso positus, secundum vim /Vb 195ra/ et motum amoris. Apparet etiam quare spiratio processio appelletur: accipitur
615 namque processio quandoque quidem pro egressu producti a producente, eo modo quo dicimus quod radius procedit a sole et sic processio communis est generationi et spirationi, procedunt enim Filius et Spiritus Sanctus a Patre, sicut productum a producente, et iuxta istam intelligentiam dicit salvator, Io 8: “Ego ex Deo processi et veni”; quandoque vero sumitur pro motu progressivo locali, et secundum hoc non habet locum in divinis ubi motus localis non est;
620 quandoque vero sumitur pro egressu amantis ad amatum in quodam esse nocivo et condonato, in quantum amans, quicquid est et quicquid habet nititur in amatum transferre, et quasi emittit et exsufflat in ipsum retenta solum personali distinctione, et secundum hoc procedere est proprietas constitutiva Spiritus Sancti et sibi propriissima, in quantum non est aliud quam Deus, ut egressus per vim amoris. Unde quod aliqui dicunt de processione, quod non est propria
625 Spiritui Sancto, apparet quod ex aequivocatione decipiuntur.

Et in hoc secundus articulus terminatur. /X 380a/

Articulus Tertius

**Utrum generatio activa et spiratio activa realiter distinguantur in Patre, et spiratio activa
630 ac generari in Filio. Opinio Scoti et Alexandri et Durandi in scriptis suis.** Circa tertium autem considerandum quod aliqui dixerunt spirationem activam realiter in Patre distinguunt ab activa generatione et in Filio a generatione passiva, multis motivis et multiplici ratione inducti. Relationes enim penes terminos distinguuntur, unde illa quibus aliquid realiter comparatur ad

diversa, videntur realiter differre. Sed Pater per generare comparatur ad Filium, et per spirare ad
635 Spiritum Sanctum, qui realiter sunt distincti. Ergo spirare et generare realiter distinguuntur.

Praeterea, impossibile est duas passiones distinctas realiter profluere ab una et eadem actione secundum rem, videntur enim actiones multiplicari secundum numerum passionum. Sed spirari et generari sunt passivae productiones realiter distinctae, cum constituent Spiritum Sanctum et Filium. Ergo generare et spirare realiter distinguuntur.

640 Praeterea, sicut se habet generare ad generari, sic spirare ad spirari; ergo permutatim, sicut se habet spirare ad generare, sic spirari ad generari, et e converso. Sed constat quod spirari et generari realiter distinguuntur. Ergo generare et spirare realiter distinguuntur.

Praeterea, quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem. Sed generari et generare nullo modo sunt inter se realiter idem. Ergo nec generare erit idem in Patre cum
645 spirare, nec generari erit idem cum eo ut in Filio.

Praeterea, multiplicato uno correlativorum, multiplicatur et reliquum, et maxime si secundum speciem fiat multiplicatio, non solum secundum numerum. Sed generari et spirari, quae realiter distinguuntur et non solum secundum numerum, immo quasi secundum speciem, cum sint alterius rationis. Ergo generare et spirare, quae sunt correlativa eorum, realiter
650 distinguuntur.

Praeterea, si generatio et spiratio non distinguerentur realiter, non essent quatuor relationes reales in divinis; communis enim spiratio non poneret in numerum cum paternitate et filiatione. Sed hoc est contra dicta Doctorum. Igitur id quod prius.

Praeterea, relatio producentis et produc-/Vb 195rb/-ti impossibile est quod sint idem, et
655 similiter productio activa et passiva non potest eadem esse. Sed generari est passiva productio, spirare vero activa. Igitur realiter non sunt idem.

Praeterea, actiones illae quae habent distinctos modos realiter et extra intellectum, illae quidem realiter distinguuntur. Sed ita est de generatione et spiratione, Pater namque generat naturaliter et spirat liberaliter, et alio modo secundum omnes spirat quam generet. Ergo
660 generatio et spiratio realiter distinguuntur.

Opinio Hervaei, I Scripto suo. Dixerunt vero alii totum oppositum huius dicti, quod videlicet impossibile est /X 380b/ generare distingui realiter a spirare in Patre, et in Filio generari a spirare, quamvis generari et spirari realiter distinguantur. Hoc autem potest multipliciter
665 declarari. Si enim spirare distinguatur realiter a generare, aut erit res inhaerens aut subsistens. Inhaerens esse non potest, quia nullum est accidens in divinis. Sed nec subsistens, quia secundum hoc spirare et generare erunt duae res subsistentes, et per consequens duo supposita, unde Pater erit duae personae, quod erroneum est. Ergo spirare et generare non sunt duae res distinctae.

670 Praeterea, quae in divinis de se invicem praedicantur in abstracto, non possunt realiter distingui. Sed haec est vera: spiratio est generatio, quia quicquid est in Patre, est Pater. Ergo spiratio et generatio idem sunt, praesertim cum omnia quae praedicantur in divinis de se invicem in concreto, praedicentur etiam in abstracto. Unde et Pater est Deus, et paternitas est deitas. A simili ergo, sicut Pater est spirans, ita paternitas erit spiratio.

675 Praeterea, sicut se habet essentia ad tres personas quibus communis est, sic se habet spiratio ad personas quibus communis est. Sed essentia non ponit in numerum realem cum personis quibus communis est, nec cum earum relationibus. Ergo nec spiratio communis ponet in numerum cum Patre et Filio, nec cum proprietatibus eorundem.

Praeterea, omnis distinctio realis in divinis ortum habet a relativa oppositione originis. Sed
680 generare et spirare non habent oppositionem relativam secundum originem, sed tantummodo sunt relationes disparatae. Non igitur distinguuntur realiter. Per oppositum autem, quia spiratum habet ex sua propria ratione quod sit a genito, necesse est quod generari et spirari realiter distinguantur, tamquam opposita secundum originem.

Praeterea, illa actio quae nullam repugnantiam habet ad generantem et genitum, non videtur
685 realiter distingui a generare et generari, quia omnis distinctio fit propter aliquam repugnantiam. Sed spirare ad generantem et genitum nullam repugnantiam habet, spirare quidem est actio, qua

producitur Spiritus, de ratione autem spirati est quod producat a genito, et per consequens a generante saltem mediate. Relinquitur ergo quod generare et generari non distinguantur realiter a spirare.

690 Est itaque advertendum secundum istos quod generatio et spiratio in Patre, et si forsitan distinguantur secundum rationem, et possint importare extrinsece aliquam diversitatem realem. Generare enim respicit generari, et spirare spirari, generari autem et spirari realiter distinguuntur, nihilominus ipsa inter se sunt realiter idem, et universaliter quaecumque realis distinctio in divinis pertinet ad distincta supposita. Unde quaecumque sunt in eodem supposito,
695 sunt eadem res, et quaecumque sunt res diversae pertinent ad diversa supposita, secundum sic ponentes.

Et in hoc articulus tertius finitur. /X 381a/

Articulus Quartus

700 Quid dicendum de hoc secundum veritatem. /Vb 195va/ Circa quartum autem considerandum quod ex determinatis superius patere potest quid secundum veritatem dicendum est in hoc puncto. Declaratum est enim quod identitas quaedam est aliquorum, qui idem sunt per repetitionem, in quantum unum est aliud sub alio conceptu aut alia ratione, eo modo quo Sortes et animal et homo sunt idem; quaedam vero est identitas per indistinctionem omnimodam
705 quorum neutrum est ratio, aut habens aliquid ab opere intellectus, immo quodlibet res est, sed tamen fundant eandem unitatem. Vel posset aliter explicari quod eorum quae sunt eadem realiter, quaedam sunt quorum utrumque extremum est vera res, nihil habens de opere intellectus; quaedam autem sunt quorum utrumque extremum vel saltem alterum habet aliquid de opere rationis, et secundum hoc possunt duae propositiones formari.

710

Quod generare et spirare in Patre fundant penitus eandem unitatem et similiter spirare et generari in Filio, contra primam opinionem. Prima quidem quod spirare est idem per omnimodam indistinctionem cum generare ut est in Patre, et cum generari ut est in Filio; quaecumque enim concurrunt intrinsece ad unam simplicissimam personalitatem necesse est ut
715 fundent penitus eandem indistinctionem, alioquin si habent distinctiones proprias et proprias unitates, personalitas illa in qua erunt plura distincta et plures unitates, nullo modo simplicissima erit. Sed personalitas Patris simplicissima est, et re et ratione, sicut et Deus, ut supra probatum fuit; intra istam autem personalitatem clauditur essentia et spiratio ac generatio activa, ut etiam extitit declaratum, alioquin personalitas Patris subiiceretur spirationi et spiratio esset accidens eius. Ergo tam essentia quam generatio quam spiratio sunt penitus indistincta in
720 Patre carentes prorsus omni distinctione reali vel rationis; et idem potest probari de passiva generatione ac spiratione in Filio.

Praeterea, si in Patre generare et spirare essent distincta realiter, nec fundantes eandem unitatem, tunc in Patre essent duae realitates. Aut igitur Pater erit una ex illis essentialiter, et
725 altera accidentaliter et subiective, aut erit constitutum ex utraque realiter, aut erit utraque realiter, sic quod sit simul duae res distinctae. Primum quidem dari non potest, ne cogamur subiectum et accidens ponere in divinis; nec etiam secundum, ne ponere cogamur realem compositionem in Patre; et multo minus tertium, quia tunc Pater esset plures res dissutae et inconnexae. Restat igitur ut inter spirare et generare nulla distinctio poni possit.

730

Quod hoc non obstante, generari et spirari sunt res distinctae non potentes eandem et omnimodam indistinctionem fundare. Sed nec ex isto sequitur quod sit simile de generari et spirari, immo ex realitatibus /X 381b/ eorum est impossibile quod fundent eandem indistinctionem aut omnimodam unitatem, quemadmodum enim experimur in nobis de spirari et
735 generari, quantum ad esse intentionale, sic concludendum est in divinis quantum ad esse reale; sicut autem experimur quod generari et spirari non concurrunt ad eandem perseitatem et idem intentionale suppositum, mens enim posita in esse apparenti concipitur ut aliud suppositum a mente posita in esse lato et egredienti, non enim concipiuntur ut mutuo indistincta, immo ut distincta supposita, et habentia suas perseitates, et tamen ex parte altera mens ut formans et

740 constituens se ipsam ante se et ut procedens extra se non intelligitur tamquam duo supposita, /Vb 195vb/ immo unum simplex. Ergo multo fortius generari et spirari pertinebunt ad duo supposita in divinis, et per consequens erit impossibile ut ad eandem unitatem et omnimodam indistinctionem conveniant, et tamen erit possibile de spirare et generare active sumptis.

745 Praeterea, quamvis duae productiones passivae possent concurrere ad fundandum penitus eandem unitatem, non tamen umquam illae possunt concurrere, per quas productum capit esse simpliciter et subsistens, in quocumque enim duae tales productiones ponerentur, ipsum produceretur bis simpliciter et eius subsistentia esset bis producta, quod impossibile est. Sed generari semper est productio per quam res genita capit esse subsistens, loquendo enim de
750 generatione Verbi, quicquid obiicitur menti nostrae apparet tamquam quoddam subsistens; unde si formo rosam in mente, eam conspicio per modum cuiusdam subsistentis; nec est instantia, nisi in accidentibus quae non habent verbum praecisum, sicut nec praecise concipiuntur. Similiter etiam per spirari capit amans esse subsistens in quantum totus egreditur ad amatum, quantum est ex conatu et ex voto amoris. Ergo ex natura spirationis passivae et generationis,
755 apparet quod non possunt concurrere ad eandem perseitatem et simplicem personalitatem, et per consequens nec ad fundandum penitus eandem unitatem.

Nec motiva primae opinionis contra ista procedunt. Primum siquidem non, quia et ad Filium et ad Spiritum Sanctum comparatur Pater per generare et spirare, et termini quidem non fundant eandem unitatem. Generare autem et spirare fundare possunt, sicut filius refertur ad patrem et
760 matrem in creaturis, nec tamen habet distinctas filiationes, sed id quod habet esse a patre et id quod habet esse a matre concurrunt in eadem filiatione per modum eorum quae fundant eandem unitatem; quicquid tamen sit de exemplo non oportet ut si termini sint distincti, quod relationes convenire non possint ad omnimodam unitatem et indistinctionem.

Nec etiam secundum procedit propter eandem rationem: productiones enim passivae mutuo
765 sibi repugnant, ut non possint eandem unitatem fundare, praesertim cum per eas capiunt termini esse simpliciter et subsistens. Productiones autem activae numquam habent impossibilitatem huius, potissime spirare et generare ut experimur in nobis. /X 382a/

Nec etiam procedit tertium, quia commutata proportio non tenet demonstrative, nisi in
770 quantitativis ubi est proportio et proportionalitas. In qualitativis autem aut aliis habitudinibus, et si tenet gratia materiae, non tamen gratia formae; unde spirare se habet ad spirari ut actio ad propriam passionem illatam, et eodem modo se habet generare ad generari. Quod autem ultra infertur de distinctione ac indistinctione ex vi rationis efficaciam nullam habet.

Nec etiam procedit quartum, quia illud principium, quaecumque uni et eidem sunt eadem, declaratum est supra quod non tenet in his quorum quodlibet extremorum est res, quamvis
775 fundent penitus eandem unitatem. Sed tenet in his quorum alterum habet aliquid de opere intellectus et quae sunt idem per repetitionem. Qualia non sunt generare et spirare, ut infra dicitur.

Nec procedit etiam quintum, quia licet multiplicato uno correlativorum oporteat in altero correlativo aliquid proportionaliter respondere, non tamen necesse est quod correspondeat
780 divisum /Vb 196ra/ et distinctum, nam paternitas et maternitas sunt in patre et matre respectu filii, et existunt in distinctis suppositis; et tamen ex parte filii non est sic.

Nec etiam procedit sextum, quia verum est quod non sunt quatuor relationes ponentes in numerum in divinis, in Deo enim nulla est rerum quaternitas aliquo modo.

Nec etiam procedit septimum, verum est quidem quod relatio producentis et producti non
785 possunt esse idem per repetitionem, sed quin possint eandem unitatem fundare et uniri per omnimodam indistinctionem non est maius inconveniens quam de essentia, quae est penitus improducta, et de generatione passiva quae infertur et esse capit ab activa; et tamen constat quod essentia et generatio passiva in Filio fundant penitus eandem unitatem, et pari ratione hoc possunt facere activa spiratio et generatio passiva.

790 Nec etiam procedit ultimum, non enim naturale et liberum ponunt distinctionem aliquam inter spirare et generare, sed arguunt quod quodlibet est res, † et non et quod habent¹ † identitatem repetitionis, qualis est inter illa, quorum alterum est ab opere intellectus.

Quod generare et spirare in Patre non sunt idem per repetitionem, sic quod sint distincta ratione, immo quodlibet est res, contra secundam opinionem. Secunda vero propositio est
795 quod generare et spirare non sunt de numero eorum, quae sunt idem re et distinguuntur ratione, quasi eadem res repetatur sub alio et alio conceptu, cum dicitur generare et spirare; impossibile est enim quod contradictoria de praedicato reali verificentur de his, quae dicunt eandem rem sub alio et alio conceptu, praedicatum enim reale respicit rem, non quatenus concepta est, sed
800 quatenus res est; propter quod si affirmetur et negetur sub diversis conceptibus de eadem re simpliciter affirmatur et negatur de eodem, accidit enim sibi conceptuum pluralitas. Sed de generare et spirare possunt enunciari contradictoria /X 382b/ de praedicato reali, nam generare non communicatur Filio, spirare vero secundum rem sibi communicatur; et iterum Pater generat Filium et non spirat ipsum, et sic de multis aliis; ut quod generare realiter opponitur generari, cui secundum rem spirare non opponitur, et quod generare non est vere realiter nisi in uno
805 supposito, spirare vero est secundum rem in duobus. Ergo impossibile est quod sint de his, quae distinguuntur per repetitionem, quorum distinctionem perficit operatio intellectus.

Praeterea, rationes primae opinionis, licet non concludant aliquam distinctionem realem aut rationis, probant tamen evidenter quod non sit inter spirare et generare identitas, qualis est inter
810 illa quorum alterum habet in se aliquid de opere intellectus. Unde probant quod totum illud quod de spirare et generare concipimus, est vera res existens in Deo, licet non concludant quin istae res fundent penitus eandem unitatem. Relinquitur igitur quod sint de numero eorum quae sunt unum per omnimodam indistinctionem.

Nec motiva valent secundae opinionis.

815 Primum siquidem non, quia nec generare est inhaerens nec subsistens, et similiter nec spirare, sed utrumque est personalitatem Patris constituens, in quantum quaedam per se unitas ex ipsis resultat, ut dicebatur supra.

Nec valet etiam secundum, quia spiratio de generatione predicatur in abstracto, propter identitatem indistinctionis, non quod alterum eorum distinguatur ab altero per actum intellectus,
820 sicut illa quae habent identitatem repetitionis.

Et ex eodem deficit tertium, quia essentia eodem /Vb 196rb/ modo habet identitatem indistinctionis cum proprietatibus personalibus.

Non valet autem quartum, quia non omnis realis repugnantia et impossibilitas oritur in divinis ex oppositione relativa, origines* enim passivae impossibiles sunt, quia dant esse
825 subsistens, sicut duae formae substantiales impossibiles sunt in eadem parte materiae, quamvis non opponantur. Unde generari et spirari se ipsis formaliter impossibiles sunt, nec contrahunt impossibilitatem ex hoc quod spirari originetur aliquo modo a generari, immo accidit eo modo quo est accidens in divinis. Quod ergo dicitur quod generare et spirare non habent oppositionem relativam, utique verum est, sed ista non est causa quare non
830 distinguuntur, sed eorum propriae rationes causae sunt huius, ut dictum est. Et ex eodem patet ad quintum.

Recolligendo igitur ea quae dicta sunt, apparet quod passiva generatio et passiva spiratio distinguuntur realiter, et sunt alterius rationis ex se ipsis formaliter. Similiter etiam generare et generari distinguuntur realiter et sunt alterius rationis, in quantum generare est activa productio
835 et generari passiva; eodem autem modo distinguuntur spirare et spirari; generare autem et spirare nullo modo realiter distinguuntur, nec sunt etiam alterius rationis praecisibilis et distinctae intelligibilis, quamvis sint alterius rationis, indistinctae tamen. Et quomodo hoc sit possibile patet ex deitate et ex proprietatibus; deitas enim quae est quiditas infinita et absoluta, non obstante hoc, fundat eandem unitatem cum proprietatibus relativis; idcirco multo fortius /X
840 383a/ duae proprietates relativae poterunt convenire ad fundandum eandem indistinctionem.

¹ Et quod habent *mg.* Vb; for arguunt quod ...repetitionis, Bo (= Bologna, Bibl. Universitaria 2243) reads: "... arguunt quod quodlibet est res et quod non identitatem repetitionis ...".

Unde spirare, quod est productio impulsiva et positiva rei in esse lato, tamquam emanatio egressiva concurrat ad fundandum eandem unitatem cum generatione, quae est productio formativa et positiva rei in esse apparenti et concepto. Et secundum hoc debet intelligi quod generare et spirare sunt productiones alterius rationis, non quidem alterius praecisibilis et
845 seorsum sumptibilis per intellectum, sed sicut ratio respectu paternitatis.

Et in hoc quartus articulus terminatur.

Responsio ad primo obiecta

Ad ea ergo quae superius primitus inducuntur, dicendum est. Ad primum quidem quod non est
850 verum omnem distinctionem in divinis reduci ad oppositionem relativam, nec ad diversitatem originis, nisi accipiatur per oppositionem quaecumque originum et relationum impossibilitas. Declaratum est autem quod duae passivae origines, quibus principietur suppositum impossibiles sunt, non autem duae origines, quibus suppositum principiet. Et ideo generatio et spiratio se ipsis potuerunt distinguere, non quia sit una a duobus principiis,
855 reliqua vero ab uno solo.

Et per idem patet ad secundum.

Ad tertium dicendum quod generatio dicitur modus principalis procedendi, non quidem principalitate perfectionis, sed cuiusdam primitatis, praesupponit enim spiratio generationem Verbi eo modo quo supra dictum est. Nec solo ex hoc differunt spiratio et generatio, immo ex
860 suis intrinsicis rationibus, quamvis ista sit una differentia quasi extrinseca qua possunt ad invicem distinguere.

Ad quartum dicendum quod, licet haec sit una ratio qua possunt quasi extrinsece personae distinguere, videlicet quod una est a nulla alia (sicut /Vb 196va/ Pater), et una est ab alia (sicut Filius), et tertia est a duabus (sicut Spiritus Sanctus), nihilominus non sunt istae rationes
865 intrinsecus distinctivae, non enim innascibilitas sive non esse ab alio constituit proprie Patrem, sed paternitas, et similiter nec esse ex duobus distinguit intrinsece Spiritum Sanctum a Filio, sed esse per spirationem et processionem, quae est productio alterius rationis.

Ad quintum dicendum quod procedit ab insufficienti, quoniam possibile est imaginari et vere concipi generationem et spirationem distinguere se ipsis formaliter tamquam origines alterius
870 rationis, sicut Richardus dicit, IV *De trinitate*, capitulo 13, quod inveniuntur secundum originem differre personae, si una originem habet et altera origine caret, vel si originem habentium differt origo unius ab origine alterius.

Ad secundo obiecta

Ad ea vero quae secundo inducuntur est dicendum. Ad primum quidem quod motus et productiones, qui sunt ad diversos terminos, sunt alterius rationis, se ipsis quidem formaliter, ex terminis autem coexigenter, termini namque alterius rationis exigunt, ut motus, qui terminantur ad ipsos, alterius rationis sint. Ista tamen in divinis locum non habent, tum quia ibi motus non est nec actio quae fundetur in motu, /X 383b/ tum quia ibi termini non sunt esse capientes per
880 productiones, eo modo quo superius extitit declaratum quod Filius produci dicitur sicut genitus dicitur generari in creaturis, non sicut Sortes.

Et per idem patet ad secundum et tertium.

Ad quartum dicendum quod etiam relationes se ipsis distinguuntur formaliter, quamvis earum distinctio innotescat ex terminis, sive coexigat quod termini distinguantur.
885

Ad tertio obiecta

Ad ea autem quae tertio inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod relationes disparatae, etsi distinguantur in fundamentis, non tamen per fundamenta, sicut nec formae sunt alterius rationis propter materias, quamvis exigant materias diversas.

Ad secundum dicendum quod relationes disparatae in divinis ad suppositum idem concurrunt, sicut patet quod generare et spirare concurrunt ad personalitatem Patris et spirare et generari ad personalitatem Filii, non tamen sic disparatae sunt quod sint divisae et fundantes plures unitates, immo penitus concurrunt ad eandem perseitatem et unitatem. Et quod dicitur

quod in creaturis relationes disparatae sunt in eodem supposito, dicendum quod verum est, nec
895 propter hoc sequitur quin esse possint etiam in divinis.

Ad tertium dicendum quod non ex hoc distinguitur spiratio passiva a generatione passiva, quia spirare stat insimul cum generatione passiva; sed tamen ex hoc potest concludi et argutive cognosci, quod distinguuntur.

900 **Ad quarto obiecta**

Ad ea quoque quae quarto inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod spiratio est productio habens motum liberum, et rationem libertatis ex se ipsa formaliter, cum sit quaedam condonatio libera; et similiter generatio habet modum naturae, cum sit productio similitudinis, et formatio conceptus et partus mentalis. Unde non oportet ut propter hoc spiratio procedat a
905 voluntate tamquam ab elicitive principio, nec generatio a memoria, actus quidem isti non sunt eliciti, nec ibi sunt aliqua principia productiva quibus actus eliciantur; nihilominus tamen actus spirationis reti-**Vb 196vb**/-net liberalitatem et actus generationis naturalem proprietatem. Unde spiratio libera est non libertate potentiae, sed eo modo quo actus voluntarius formaliter dicitur liber, ut superius dictum fuit.

910 Et per idem patet ad secundum et tertium, quia generatio vere terminabitur ad Verbum, et erit assimilativa productio, dato quod non sit elicita a memoria; et similiter spiratio ad Spiritum Sanctum, et erit inclinativa processio, esto quod a voluntate non sit elicita.

Ad quartum dicendum quod non est verum quod Verbum divinum sit subsistens cognitio tantum, nec Spiritus subsistens amor. Non enim emanat Verbum ut intellectio actualis, sed ut
915 notitia obiectiva, quae non est aliud quam res posita in esse formato. Spiritus etiam non procedit ut amor formaliter, sed ut donum amoris, virtute quidem et impulsu amoris procedit quicquid est in amante et datur ac emittitur ad amatum **/X 384a/** quantum est ex voto ipsius amantis; unde amor est vis conduplicans amantem, in quantum ipsum retinet intra se, et cum hoc emittit ipsum ad amatum; haec autem in nobis intentionaliter fiunt, in Deo vero realiter, ut dictum est saepe.

920

Ad quinto obiecta

Ad ea vero quae quinto inducuntur, dicendum est quod veritatem concludunt; generatio namque passiva et passiva spiratio, et realiter et formaliter sive quiditative distinguuntur se ipsis; generatio vero et activa spiratio non distinguuntur realiter nec formaliter, quia concurrunt
925 penitus in omnimodam unitatem, si tamen accipiatur ratio et quiditas carens propria unitate, eo modo quo paternitas et caeterae proprietates dicuntur rationem habere, et similiter deitas; secundum hunc quidem modum dici potest quod activa generatio et activa spiratio sunt alterius rationis.

930 **Ad obiecta in oppositum**

Ad ea vero quae in oppositum inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod divina essentia non est formalis terminus productionum, cum sit forma symbolice communicata, cuius quidem communicatio fit per productiones alterius rationis.

Ad secundum dicendum quod natura intellectualis habet duplicem modum communicandi et
935 se ipsam conduplicandi; mens enim per intellectionem se ipsam conduplicat, per quam se ipsam **/X 384b/** constituit ante se in esse conspicuo, et similiter per amorem per quem egreditur extra se in esse condonato. Commentator autem, cum dicit unius naturae non esse duos modos communicandi, vel loquitur de naturis non intellectualibus, vel potius refert dualitatem istam ad modum naturalem et modum casualem; est enim sua intentio quod una species non habet nisi
940 unum modum quo generetur, aliquae enim sunt quae habent causas terminatas activas et passivas, sicut quae generantur ex semine; aliquae vero non habent causas terminatas sed casuales, ut quae generantur ex putrefactione. Quod autem eadem species habeat causas terminatas et non habeat causas terminatas sed casuales, impossibilem* dicit esse. Patet autem quod ista locum non habent in Deo, propter quod non est ad propositum verbum
945 Commentatoris.

Ad ultimum dicendum quod productiones passivae non se habent ad producta supposita
tamquam ad terminum, sed tamquam ad formaliter constitutum; non enim Filius generatione
passiva elicitur, sed formaliter constituitur. Supposita ergo producta et habent **/Vb 197ra/** in se,
unde sunt eiusdem rationis, videlicet deitatem, et habent proprietates quae sunt productiones
950 passivae, unde sunt alterius rationis. Sed quoniam deitas habet rationem formae quidificantis et
dantis esse quidditativum, ideo supposita sunt eiusdem rationis. Proprietates vero non dant esse
quidditativum, non enim per filiationem Filius est quid, sed ad aliquid, quia ad interrogationem
factam per quid de Filio, respondetur quod est Deus, non quod sit Filius. Sed de hoc inferius
955 prolixior erit sermo, cum inquiretur de personis divinis, an habeant modum specierum sub
genere, vel individuorum sub specie.